



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis  
Expositio**

**Tamburini, Tommaso**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Favor tertius Bullæ, tempore Interdicti. posse Ecclesiasticè sepeliri. Cap.  
VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

CAPUT SEPTIMUM ET VIII.

CAPUT SEPTIMUM.

*Favor Tertius Bullæ tempore Interdicti.  
Posse Ecclesiastice sepeliri.*

1. **N**ota, hoc Privilium dari omnibus, qui recipiunt Bullam id enim clare habet ejus tenor, & quidem si non dederat causam Interdicto, vel per ipsos non steterit &c.

2. Nota Secundo, hoc Privilium esse magnificiendum; nam per Jura antiqua solis Clericis conceditur, posse eos sepeliri in Coemeterio, & de jure noviore per Cap. Alma Mater, etiam in Ecclesia. At Laicis nullus, quoad sepulturam, conceditur favor, nisi forte in aliquibus festis diebus Paschatis Resumptionis, &c. vel pro non denuntiatis nominatio, ut fuse agitur in Tractatu de Interdicto. His ergo Laicis, & pari modo omnibus Christi Fidelibus Bullam habentibus conceditur, ut possint in Interdicto Generali locali Ecclesiastice, sed cum moderata pompa, sepeliri.

3. Si autem queras, quænam sit hæc moderatione. Respondeo esse illam, ut habeat Cerduba apud Ludovicum à Cruce, qua cum cantu, & tribus Campanarum clamoribus Cadaver deferatur, & sepeliatur, aperte Ianuis Ecclesiæ, sed sine Missa. Addit idem Author. in quodam Commentario Bullæ declarari per Pomparam moderatam intelligi medietatem. Pompare, & solennitatis, quæ alijs fieret juxta qualitatem Defuncti. Verum Ludovicus à Cruce loco cit. concludit, standum esse consuetudini Patriæ, vel Dispositioni Ordinarii, vel si hæc desit, Parochi.

*Monitio pro oratione fundenda in usu predicatorum favorum.*

4. Quoties uteris Bullæ favore celebrandi in Privato Oratorio, vel celebrandi ante horam. Quoties idem facis tempore Interdicti. Quoties Missam celebras, vel celebrare facis ante, vel post horam debitam cum concessione dicta Commissarii. Quoties divinis assistitis eodem Interdicti tempore, toties alias preces Deo pro Unione Principum Christianorum contra Infideles, corumque contra eosdem Infideles victoria, porrigeres teneris. Sufficere autem unum Pater, & Ave, Tamburinus de Sacramentis.

& ejus omissionem non esse, nisi veniale. alibi b dictum est.

Idem dic, quoties Eucharistiam sumis, modo superius, & quoties ecclesiastice ali quem ex vi Bullæ tempore Interdicti sepelis, ca. 4. §. 4. nam in Bulla originali, quam toties citavi, nu. 41. mus, quamque habes apud Ludovicum à Cruce initio lux expositionis, hæc monitio de oratione fundenda, ponitur immediate post illos praedictos favores, unde pro omnibus requiri videtur.

177

b in Opus.  
de Sacr.  
Miff. lib. 1.  
ca. 4. §. 4.  
nu. 41.

CLAUSULA OCTAVA.

I Tem, ut durante dicto anno, intra ipsa Regis Hispanie Regna (Intellige, ubi promulgatur Bulla) & non extra, carnibus de consilio utriusque Medicis temporibus jejuniiorum totius anni, etiam Quadragesimalium, vesci, ac pro eorum libitu, ovis, & lacticiniis, Itaque qui carnes concederint, servata in ceteris Iejuniis Ecclesiastici forma, dicto Iejunio satisfecisse censantur.

Excipiuntur ab Indulso vescendi ovis, & lacticiniis, quo ad Quadragesimalia Iejunia tatum, Patriarchæ, Primate, Archiepiscopi, & alti Superiori, vel Inferiores Prelati, & quilibet Persona Regularis, & ex Secularibus illis, qui in Presbyteratus ordine constituti sunt, nisi fuerint Sexagenarii. Hactenus clausula Indultum, quod deinde concessit Prelatis, ac Sacerdotibus secularibus vescendi lacticiniis Urbanus VIII. ponemus, & exponemus nō multo post in fine hujus cap. §. 5.

CAPUT OCTAVUM.

Secundum Privilium circa cibos vetitos.

Hoc Privilium quoad carnes, tu quo ad lacticinia, non posse nos uti extra Regnum, seu Regna ubi non promulgatur Bulla, supra indicavimus, & nunc confirmamus ius in loco, quia nimis id clare appetet in Bullæ tenore. Quare, si tu habens Bullam Panormi, eas Neapolim, ibi hoc Privilgio vescendi prohibitis frui non potes, potes autem, si eas in quamlibet Sicilia Civitatem, ut etiam si adeas Hispaniam, aliaque Regna, in quibus Bullæ Promulgatio conceditur.

Z.

§. 1. Posse